



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Quæ sint species Luxuriæ consummatæ contra naturam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM III.

*Quæ sint species luxuriæ consummata
contra naturam?*

Resp. Cum contra naturam esse dicantur eæ, in quib. fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ, ita, ut juxta tales modos species variantur, hinc resolvitur tales species esse sequentes.

I. Congressus inordinatus, hoc est, innaturalis, sive indebitus concumbendi modus, cum scilicet servatur quidem idētitas speciei, diversitas sexus, & debita naturæ organa, sed inordinato tantum modo acceditur: v.g. cum vir succumbit, vel averse accedit more pecorum, vel à latere, vel stando aut sedendo, aliave ratione insolita, quod est contra naturam: mortale, quando inde periculum est impediendæ generationis, ut effundendi seminis, alias si hoc periculum caveatur, aut non sit, eò quòd matrix foeminae satis attrahat semen, & retineat, ut fit plerumque, non contra, sed præter naturam erit, & veniale grave, imò nullum, si gravis causa adsit, v.g. quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio, sive utriusque, sive alterius conjugis aliter fieri non patitur. *Fill. t. 30. c. 8. g. 8. n. 137.*

II. Mollities sive pollutio, & est, cum absq; congressu seu copula, voluntariè procuratur fluxus feminis, sive id foras effundatur, uti in maribus, sive intus diffluat in matricem, ut in foeminis. Et hoc peccatum præter propriam malitiam, sæpè aliam habet adjunctam, ut v.g. fornicationis, adulterii, & incestus, & c. cum quis nimirum simul ima-

ginatur, ac desiderat congressum alicujus personæ libere, cōjugatæ, &c. quod proinde si fiat, in cōfessione aperiendū est. Plura de mollitie. v. *se 7. dubio.*

III. Sodomia imperfecta, & est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum fœmina, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v. g. adulterii, si fiat cum conjugata, incestus, si cum consanguinea, *Bonac. q. 4. de mat. p. 11. n. 1. Fil. l. c. n. 158.*

IV. Sodomia perfecta, & est congressus duorū ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Et potest etiam habere alias malitias adjunctas: v. g. incestus: quo casu cognationis gradum non necessariò explicari docet *Escob. de act. hum. E. 2. c. 6.* sed satis esse dicere, coivi cum cōsanguineo, vel affine, quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat speciem. Ita ille, Explicandum tamen esse, fuerisne agens an patiens, dicit *C. Lugo d. 16. n. 4. 23.* contra *Dianam tom. 2. t. 4. de sacram. R. 159. & p. 6 t. 6. R. 36.*

V. Bestialitas, quod est gravissimū inter omnes, & est congressus, in quo non servatur identitas speciei, v. gr. si homo coeat cum bestia, sive ejusdē sexus sit, sive non. Neque opus est explicare, qualis, sive cujus speciei fuerit, quia est differentia tantum materialis, & in genere entis: non autem formalis, & in genere moris, *Escob. E. 2. c. 6. ex Fill. tom. 2. tr. 30. cap. 7. num. 131.* Huc revocatur peccatum cum Dæmone succubo, vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem, & præterea etiā Sodomix, adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris, Sodomitico, adulteri-

no,

no, vel incestuoso, cum Dæmone coeat, v. *Bon. de matr. q. 4. p. 12. Fill. n. 162.*

DUBIUM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem?

Resp. Autoritate Scripturæ, quæ molles à regno cœlorum excludit, 1. *Cor. 6.* docent omnes, nullo casu licitum esse intendere, vel procurare directe mollitiem, ne quidem causa sanitatis: ac vitandæ aliàs certæ mortis, Causam dat *Sanch. lib. 9. d. 17.* quòd natura ad administrationem seminis, extra matrimonium, in omni eventu, homini denegavit, eò quod adedò vehemens sit in ea re sensus voluptatis, ut homines passione excœcati, passim sibi facile persuaderent, habere se iustam causam irritandi seminis, unde plurima gravissimaq; vitia contra bonum commune, & in impeditioe generationis emergerent, *Nav. ca. 16. Less. & commun.* Unde resolves.

I. Distillatio, quæ est fluxus humoris, quasi medii inter urinam & semen, (cum quo coloris & viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti illa delectatione, non est vera pollutio, & si proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de sudore, dicit *Cajetan.* Si verò fiat cum sensu carnis, & commotione spirituum generationi servientium, tum ei cooperari, vel causam præbere, non est, vel est peccatum, idque veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo de pollutione dicitur, *Sanch. 9. d. 45. n. 32. Laym. l. 3. f. 4. n. 18.*